

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1011

**Auteur(s) :** Robert II des Ablèges, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1221, 24 juillet

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert II des Ablèges, évêque de Bayeux, fait à son chapitre des donations sur l'église de Saint-Martin de Creully.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCXXI, t. 1, p. 271-272.

## Dissertation critique

Le 24 juillet 1221 voir Errata

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus, divina sustentia Baiocensis episcopus, salutem in vero salutari. Ad studium sollicitudinis nostræ spectant eos, qui circa divinum officium attentiori invigilant famulatu, amplioribus beneficiis honorare, ut qui laudabiliter in Ecclesia Dei continuo desudant labore, per nostræ provisionis curam condigno remunerentur stipendio temporali. Nos itaque quanta assiduitate, quantæque devotionis studio dilecti nostri in Christo canonici Baiocenses divinis insistant officiis attendentes, volentesque aliquo grato subsidio eorum alleviare laborem, eisdem, divinæ pietatis intuitu, concessimus et dedimus duas garbas ecclesiae beati Martini de Croileio, cum tota terra elemosinæ, et prato, et hominibus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, in usus proprios et distributiones communiæ secundum Baiocensis ecclesiae consuetudinem integraliter de cetero committendas, tertia garba, et altalagio integre remanentibus ad usum et sustentationem vicarii quem nobis et successoribus nostris successive præsentare tenentur. Et sciendum est quod nos nobis, et successoribus nostris, retinuimus in eadem ecclesia de Croileio omnem jurisdictionem episcopalem, et omne jus episcopale, præterquam in deportatione illarum duarum garbarum, salvo in omnibus jure dilecti nostri Gregorii, archidiaconi Baiocensis, salva etiam per omnia tam ejusdem archidiaconi quam successorum suorum jurisdictione in ecclesia memorata de Croileio. Ut igitur rata et stabilia futuris temporibus permaneant, ea præsentis scripto et sigilli nostri munimine duximus roboranda. Datum anno gratiæ millesimo ducesimo vicesimo primo, in crastino sanctorum martyrum Revenni et Rasiphi.